

Itaque multi, quum in potestate essent hostium, aut tyranorum, multi in custodia, multi in exilio, dolorem suum doctrinae studiis levaverunt. Princeps hujus civitatis, Phalereus Demetrius, quum patria pulsus esset injuria, ad Ptolomaeum se regem Alexandriam contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret, Theophrastique esset auditor: multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus; sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus. Evidem e Cn. Aufidio, praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, quum se lucis magis, quam utilitatis desiderio moveri diceret. Somnum denique nobis, nisi quietem corporibus, et medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum: aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque si aut quietem natura non quaereret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur: qui etiam nunc agendi aliquid, discendique causa prope contra naturam vigilias suspicere soleamus.

(Off. I. 6, vide infra).

Tusc. I. 19. Quum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus: profecto tunc erimus beati, quum, corporibus relictis, et cupiditatum et aemutationum erimus expertes: quodque nunc facimus, quum laxati curis sumus, ut spectare aliquid velimus, et visere, id multo tum faciemus liberius, totosque nos in contemplandis rebus perspiciendisque ponemus, propterea, quod et natura inest in mentibus nostris insatiabilis quaedam cupiditas veri videndi: et orae ipsae locorum illorum, quo pervenerimus, quo faciliorem nobis cognitionem rerum caelestium, eo majorem cognoscendi cupiditatem dabunt. Haec enim pulchritudo etiam in terris patriam illam et avitam (ut ait Theophrastus) philosophiam, cognitionis cupiditate incensam, excitavit. Praecipue vero fruentur ea, qui tum